Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3137

Quelle:
Copyright:

uenire merear &c. Alter Monachi; nam petit, ut in ipſo perſeveret *ſacrorum ordinum dignitas et ſacramentorum uirtus et ſancte unctionis et monaſtice conſecrationis operatio* &c. *Fol.* 28. p. 2. *Curſus omnium operum domini*, id eſt, myſteriorum vitae Chriſti. *Curſus* hi conſtant Particulis Pſalmorum, quae Orationibus interſtinguuntur. *Fol.* 53. Orationes complures de Paſſione et Cruce Domini. In his multae rurſus ex ore Feminae, uti et deinceps. *Fol.* 108. Preces *ad communionem corporis domini. Fol.* 117. p. 2. *Incipit pſalterium beate et glorioſe ſemper virginis Marie.* Rhythmis conceptum, quibus immiſcentur per intervalla Salutationes Angelicae. *Fol.* 133. p. 2. *Auguſtini epiſcopi oratio ad ſanctiſſimam mariam*, quae incipit: *Singularis meriti ſola ſine exemplo mater et uirgo* &c. *Fol.* 143. p. 2. *Letania de S. Maria*, cum pluribus aliis ad eam precibus, quas inter Oratio ad eam ſimul et *Johannem Ev.* directa. *Fol.* 167. p. 2. *Litania pro in finem*, id eſt, pro felici obitu. *Fol.* 171. p. 2. *Curſus pro defunctis*, adjunctis *Pſalmis* pro iisdem. *Fol.* 181. *Curſus ſ. trinitatis quem docuit S. Johannes bapt. quendam beremitam.* Adhaerent Orationes ad S. *michahelem*, *proprium angelum*, *Johannem Bapt.* et *Apoſt.* in qua poſtrema deficit *Codex*, quem in uſum Sanctimonialium cujusdam Parthenonis, et fortaſſis a Sorore quadam Calligrapha, deſcriptum autumo. *Curſus* et *Litaniae* in eo contentae multum differunt ab iis, quae tardius invaluere, et ipſe ſpiritus, tenorque Precum talis eſt, ut eas multis temporum lapſu ſubnatis praehabeas. Sunt tamen et inſcita quaedam, ut *fol.* 177. p. 2. ubi rogatur S. Trinitas, velit memor eſſe *omnium miſeriarum ſuarum*, *quas unquam in ueteri et in nouo peregit teſtamento*; niſi fortaſſe legendum ſit *myſteriorum ſuorum.*

DCCCXCVI.

Codex membraneus lat. Sec. 684
XIV. Folior. 127. 4. charactere grandi, elegantique exaratus, literis omnium initiorum colore auroque depictis *Precationes* varias complectitur, quas ordine indicabimus. Praeit Formula *Confeſſionis* Deo faciendae hoc initio: *Confiteor tibi domine pater celi et terre coram ſancto altari tuo et huius loci reliquiis omnia peccata mea* &c. Dein: *Incipit Pſalterium Beati Jeronimi.* Sunt Pſalmi ſequentes: V. LXXXVII. XXVII. XXXIII. L. LIII. LXIII. LVI. LXIX. LXXXVII. CI. CXVIII. CXXIX. et CXLII. ſed initiis tantum delibatis, mixtisque mox verſiculis aliunde depromtis, unde etiam ſubjuncta *Oratio* ita incipit: *Suſcipere et exaudire digneris hos uerſiculos congregatos* &c. Simile Commentum jam *Cod.* CCCVI. occurrit. Succedit longa ad Deum *Precatio* rhythmica, immixtis auro liquidiſſimo ſcriptis ſed corruptis